Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1719)

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputionibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſextâ Decembris.

M. PHILIPPO DOUTE', Doctore Medico, Præſide.

Pellitúrne Sanguis ſolâ Cordis incitatione?

OMNE corpus συμπνεῖ & συῤῥεῖ, humanum præcipuè, quod pro mole plus habet ſanguinis & caloris. Conſtat id ſolidis & fluidis partibus. Solidæ, quaſi fundamentum, fluidas excipiunt & continent. Fluidæ accedentes & decedentes labuntur uſquè. Solidæ, oſſa & fibræ. A fibris membranæ, tendines figurantur, ut & omne genus carnis & vaſorum. Fluidæ, humor, ſpiritus: uterque multiplex. Humor nobiliſſimus ſanguis, qui περιφερόμενος, quaſi ditiſſimus ταμίας, nulli non parti nutrimentum, jacturæ, quam perennem patitur, compenſationem, miniſtrat. Sanguis non unus, ſuo nomine & ſuâ naturâ complectitur, αἷμα, χολὴν, φλέγμα, & μέλαιναν χολήν. Bilis ἀκρητεστάτη apparatur in hepate, aliquandiu condenda in cyſti, vel ſtatim committenda duodeno: humor à ſanguine utiliſſimus. Hic omnium ſubtiliſſimus, facilè αἴρεται & ἐξάπτει. Pituita, quæ μετὰ χολὴν μέλαιναν difficiliùs amovetur, vagatur ubique. Succus melancholicus quantitate minor, naturâ occultè acidus, abdominis partes aliquas obſidet: facilè ὀγκοῦται; difficilè accenditur; accenſus, lues δυσέκνιπτος. Horum humorum δυνάμεις χρώματι, ψαύσει, καὶ γεύσει intelliguntur.

SANGUIS duplici donatur motu: uno, quo diffluit, & partes conſtituentes à ſe invicem diſcedere conantur: altero, quo contra gravitatis legem fertur ſurſum ad caput à corde per arterias, & ἐξ ἀκεστηρίων per venas ad cor. Primus à ſpiritu humoris partes molles & lubricas incitante: alter à corporis coagmentatione, vaſorum ſtructurâ & cordis compage. Cor validi muſculi & vim & naturam habens, cùm ſpirituum habili vigore ſtringitur, quem utroque ſinu non omninò tenuem comprehendit ſanguinem, conterit ac perficit, ſimúlque excutit vi magnâ. Novi ſanguinis acceſſio omnes omninò arterias concitat, pulsúmque facit, qui unus, micat magis in magnis arteriis, minus in exiguis. Hac motione ſalutari ſanguis vitam diffundit in ſingulas partes. Vitam actio arguit. Actio ut fiat, debet pars legitimo humore & vitali calore affluere. Venæ non ſaliunt, quia ſanguis per cæcos meatus ex anguſto in ampliorem procedit locum. Magnis in arteriis aut venis nuſquam aut rarò cunctatur, ſecùs ac in minoribus. Ubi itioni obex, tumorem parit diverſum, pro diverſi humoris dominatu. Commorans humor cogitur, diſſolvitur, putret, in pus abit. Sic cumulatus, loci, quem occupat, fibras convellit, & dolorem facit. Hinc non accedit humor, quia dolet pars; ſed dolet, quia acceſſit.

SED ſanguini jam concitato celeritatem addunt Aër, Pulmo, Diaphragma, Fibræ, Muſculi. Aër reſpirandi neceſſitate veſiculis pulmonis exceptus, inſitâ δυνάμει ἐλαυνούσῃ ſanguinem, cum quo confunditur, movet. Ipſe Pulmo, quem flabelli in modum ex ampliori minorem facit concidens Thorax, ſimul ac aëris reliquias, admiſtâ fuligine, expurgat, contractis veſiculis, vaſa, quæ præ aliis partibus obtinet copioſa, ſtringit, cogítque concluſum liquorem. Diaphragma è muſculorum ordine, inſpiratione brevius & ſolidius, ſubjectas partes urget, atque adeò una è cauſis eſt ſanguinis impulſionem promoventibus. Scilicet ut manu compreſſa ſpongia refundit intimis poris conceptam aquam; ſic ventriculus, inteſtina, meſenterium preſſa & quaſi ſollicitata pellunt ſanguinem, quo irrigantur. Inteſtina helicis in modum περιπλεκόμενα, arctari nequeunt, quin anguſtiores reddant ſanguinis tubos. Hæc conſtrictio evidentior in fibris, quibus venæ & arteriæ mirâ arte texuntur. Fibræ velut funiculi arctiùs contorti, ubi à quietis loco expelluntur, majori niſu κραδαίνονται, & ἐξ ἴσου ὁρμώμεναι concluſum terunt ſanguinem, & nutriendis partibus inſerunt. Carnes, per quas exiliunt arteriæ & venæ vaſis paſſis aliquantulum cedunt; at cùm reſilientibus fibris ſint inſtructæ, reprimunt tumentes canales. Omnes hæ motiones æquant ferè eam, quæ cordis eſt.

SANGUINIS motus facilè immutatur. Decumbente homine, facilior eſt & expeditior; quia ſanguis παράλληλος ſuſtinetur. Paulò impeditior in ſtante; quia idem κατὰ κάθετον, majori eget potentiâ ad vectionem. Aër ambiens gravior aut levior, inſenſilis tranſpiratio impedita, aut amplior quàm par eſt, tarditatem affert, aut celeritatem. Idem facit inæquabilis miſtio; cùm bilis, pituita, ſuccus melancholicus, pancreaticus, chylus, aut quivis humor alienâ dote præditus confunditur cum ſanguine. Recens humor, ſi tenuis ſpiritum concipiat, cui admiſcetur, ſanguinem impellit. Levior ſi ſit, ἄμικτος, illicò evolat per arterias aut venas ad arcem capitis; unde ſpiritu diſſoluto & turbulento, παραφορά, ἦχος μετ' ἀμβλυωσμοῦ, corporis titubatio, ὠχρότης τῆς χροιᾶς. Quandoque humor intruſus, vel ex aliorum vitio enatus, ejus eſt naturæ, ut non miſceatur; ſed quaſi corpus humido inſidens, huc feratur & illuc, in perniciem partis, ubi conſiſtet. Qualis ille, qui arthritidem parit. Humor mordens articulum reſorbetur à vaſis, nec ζυμωθεὶς cordis delinitus, in alium articulum refunditur. Quaſi hic humor tundendis articulis aptus tantùm eſſet. Sanguinem tamen & ſpiritus πνίγνυσι, ſi invadat ſuperiorum civitatum alteram; unde lethale οἴδημα. At ut humor levitate raptus, ſanguinem minus implicatum, expeditiorem reddit; ſic gravitate cunctans, eundem remoratur.

PLURES itaque cauſæ faciunt, ut ſanguis moveatur. Inter eas excellit cordis incitatio. Harum actionem illuſtrat chyli confectio & impulſio, circa quas nullum cordis eſt munus. Cibus dentibus attritus, ſalivâ non unius facultatis ſubactus, muſculis deglutitur. Exquiſitiùs diſſolutus ſingulari ventriculi proprietate inhærente humori, quem intimæ glandulæ ſubminiſtrant, depellitur. Rudior adhuc inteſtinis exceptus, à bile & ſucco pancreatico πνευμάτωσιν habet: inde per vaſa propria transfertur ad cor. Hujus motionis cauſa, ventriculi & inteſtinorum motio. Vellicantur ambo à materia colliquefacta, & contrahuntur. Sanguis in corde & pulmone perfectè elaboratus, cum bilis particula, quæ velut condimentum eſt, affunditur ſingulis partibus. Vacuæ & jejunæ præſentem excipiunt. Inanitatibus repletis, quaſi ſatiatæ, remittunt ſuperfluum. Id fibris propriis exequuntur. Si inanitates alimenti adjectione evadant capaciores, tunc accretio eſt. Hæc capacitas, à mollitudine fibrarum. Cum fibræ poſt certam menſuram protendi deſinant, deſinit & accretio. Tunc legitima & naturæ lege præſcripta corporis moles definitur. Partes duriores amplius recuſant nutrimentum; unde idem corporis habitus. Illæ eædem exiccatæ, minus admittunt; unde ſenum caduca infirmitas. Nervorum copioſiſſimæ propagines, ramulos ſpirituum vectores, in cujuſque partis conſtitutionem ſufficiunt. Mobiliſſimi ſpiritus, motuum primi auctores, humores verſant, ſanguinem maximè, qui ex ſe iners & gravis, non poteſt provehi, niſi inertia amoveatur, & ſuperetur gravitas. Inertiam propulſat ſpiritus intus agitans, quo recedente, concreſcit. Gravitas vincitur Cordis μοχλείᾳ, Fibrarum, Muſculorum, Aëris niſu.

Non ergo pellitur Sanguis ſolâ Cordis incitatione.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Germanus Preaux.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis perpetuò ordinarius.
M. Ioannes Cordelle.
M. Petrus Yon.
M. Antonius de Sainct Yon, Medicus Regis ordinarius.
M. Iohannes Robert.
M. Dionyſius Puylon.
M. Iohannes-Baptiſta de Revelois.
M. Edmundus Charrier.

Proponebat Lutetiæ PETRUS-JOHANNES BURETTE Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE